

125

ILLVSR ISSIMO CLEMENTISSIMO =

QVE PRINCIPI, AC DOMINO, DOMINO ALBERTO, SV-
PERIORIS INFERIORIS QVE BAVARIAE DVCI,
COMITI PALATINO RHOENI ETC.

Domino suo Indulgentissimo.

ARCHOMENICON.



Vper sacras Histri spatiabar ad undas,
Qua manando recens alluit urbis opus.
Hic ubi Musarum, Phœbiq; ac Palladis arx est,
Ingolstadiaco rite locata iugo.

Academia Cordaq; Nobilium sacris studiosa Camoenis
Doctorum format dia ceterua uirum.
Et requiem a populo, studijs solatia querens,
Tentabam curis me excutere ipse meis,
Ergo decumbens uernanti in gramine ripæ
Delector strepero murmure dulcis aquæ.
Cum mihi somnus adest, & fessos irrigat artus,
Ostendens oculis talia uisa meis.
Nec certe dubij fallor sub imagine somni,
Quod uidi, somno clariss illud erat.
Nam ad Danubias ludebant Naiades undas,
Motantes agilem uoce canente pedem.
Et pater ipse, caput fluuialibus altior undis,
Saltantes spectat, laudat, amatq; Deas.
Hic quæ uisa alias uoce exuperare puellas,
Dum reliquæ auscultant, talibus orsa modis.
A spicite aérijs quám se ferat ardua muris
Arx hæc, Alcathois æquiparanda Lyris.
Quæ turres ipsam, quæ propugnacula firment,
Quo fossæ, in fossis quæ tueantur aquæ.
Quam firmi postes, aerataq; ianua claudat,
Hostibus ablatam ponte negante uiam.
Porticus hinc illinc sublimibus alta columnis,
Captandis intus Regibus apta foret.
Et licet illa nihil Phœacum cesserit aulae,
Inferior Domino fit tamen ipsa suo.
Quam satus Augusto Dux Illusterrimus ortu,
Bauaricæ Albertus spes colit una domus.
Is genus, & proauos Diuorum a sanguine ducens,
Duos ingenio, corpore, & arte refert.

Mores. Diuinos mores, diuinæ excolit artes,
Cognati amplexus semina prima poli.
Religionis amans, comis, prælargus, honestus,
Consilijq; capax, consilijq; sequax.
Nec satis esse ratus uirtute effingere pectus,
Sedulus ingenuis artibus auget idem.

Arx.

Dux.

Genus.

Mores.

Studia.

Id nouisse studens, quicquid scriptoribus usquam est,
Quorum nocte die scripta diserta legit.
Res bello gestas, & fortia facta uirorum,
Præmeditans posthac per sua facta sequi.
Scilicet ut parcat uictis, reprimatq; superbos,
Ad pacem mollis, fortis ad arma tamen.
Addit quod excoluit Latia placida ora Minerua,
Et non uisa tenet Gallica uerba loqui.
Nuc dubios Vates, nuc certa Mathemata tractat,
Nunc discit populis reddere Iura suis.
Finierat Nymphe, Nymphæ bene dicta probarant,
E somno pariter soluor & ipse meo.
O qualis Princeps, quantusq; Albertus futurus, spes.
Cuius uirtutes numina laude uehunt?
O quam clementi te, prudentijs fruetur,
Demissum quoties coelitus esse feret?
Boirum tellus, qua nulla beatior ora,
Immensis late claudit illa plagiis.
Innumeros pagos, ingentibus oppida nullis
Sustinet, haud ullis exuperanda dolis.
Terra hominu, pecorumq; ferax, leta ubere glebae,
Alcinoi arboreis undiq; plena bonis.
Tum fluuios, magnosq; lacus, uastasq; paludes
Amplexa, innumeris piscibus aucta scatet.
Tum nemora, & saltus, gratis uenatibus aptos,
In quib; omnigenæ est copia magna feræ,
Tale modo imbuta Regnum moderaberis arte,
Contendesq; pias semper inire vias.
Et facies, nam cum nondum tria lustra repleris,
Par uirtute seni cerneris esse Patri.
Hinc tibi diuinum crescens super æthera noto
Casurum nullo tempore nomen erit.

Bauaria.

Illusterrimæ Clementissimæ
Tuæ Celsitudinis.

Deditissimus.

M. Chrifophorus Capher,
pro Luca Stenglin Magistrando, suo discipulo.

125
Tunc dicitur quod est deus et deus est omnia.

Deus est omnia et omnia sunt deus.

Contra istam sententiam.

Si.

Contra istam sententiam.

Contra istam sententiam.